



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs X. De His, qui Filios occiderunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

us non respiciat, *c. In audientia 25. de Sent. excommunicat.* Hactenus de Rubrica parte priori.

17. Nunc de posteriori, sive reiterantibus Baptisma: quò semel ritè collatò indelebilem characterem animæ imprimi, ejusque iterationem illicitam irritamque esse, ab Ecclesia sapius, & præsertim à Concilio Florentino in *Decreto Unionis 6. Quinto*, & novissimè à Tridentino *Sess. 7. can. 9. & Sess. 14. cap. 2. de Sacrament. in genere*, & *can. 11. de Baptismo* est definitum. Unde in ejus iterationem scienter & absolute (non ignoranter aut sub conditione, sicut fieri solet, quando de Baptismi valore dubitatur) attentatam, tanquam gravissimum Sacrilegii crimen, *can. Qui bis 107. & can. Cum itaque 110. dist. 4. de Consec.* utroque Jure & meritò severissimæ pœnæ sunt constitutæ. Et Imperiali quidem, tam rebaptizans quam rebaptizatus, ultimò supplicio afficiuntur, *l. 1. & l. Si quis 2. C. Ne sanctum baptisma iter.* Ecclesiasticò autem uterque contra-

hit irregularitatem, *can. Confrmandum 59. dist. 50. can. Afros 3. dist. 98. can. Qui in qualibet. 1. q. 7. & c. Ex literarum 2. hâc Rubr. Navarrus Manual. cap. 27. n. 246.* & aliis DD. relatis Barbofa in *c. Ex literarum cit. n. 2.*

Eandem irregularitatem, saltem à superiorum Ordinum susceptione removens, etiam contrahit, qui rebaptizanti, ut Acolytus, Subdiaconus aut Diaconus ministrat, si ejus crimen publicum sit, *c. Ex literarum cit. & Barbofa n. 8.* In hac autem irregularitate solus Papa dispensat: uti & in priore, si delictum publicum sit. Si id sit occultum, irregularitatem relaxare etiam Episcopus potest, vigore Tridentini *Sess. 24. cap. 6. de Reform. Barbofa in c. cit. n. 7. & Palao Tract. 27. disp. 6. p. 16. n. 14.*

Demum iidem, si Clerici sint, deponendi, *can. Eos qui 118. de Consec. dist. 4.* laici verò excommunicandi sunt, ut cum Anchoran, & Panormit, in *c. Ex literarum cit. n. 2.* docet Thefaur, *cit. p. 2. V. Baptisma, n. 2.*



TITVLVS X.

De His, qui Filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. Parricide, qui dicantur.
3. Pœna liberorum, parentes occidentium Civili,
4. Et Canonico jure prodita.
5. Patri liberorum interfectio olim permissa,

6. Postea vetita & subjecta est pœna Parricidii.
7. Pœna Canonica matris prolem occidentis,
8. Et opprimentis in lecto.

A Criminibus, quæ immediatè contra Deum eique debitum cultum sunt, transitus fit ad ea, quibus

quibus immediatè proximus in vita læditur, à Parricidio omnium, quibus in hac ille læditur, facillè gravissimo ordiendò.

2. Quantumvis autem Parricidæ generaliter cenſeantur, quicumque contra pietatem & jus sanguinis ex ascendentibus vel descendentibus, imò & transversalibus & affinis aliquem nefariè occiderunt, *l. 1. ff. de L. Pomp. de Parricid.* hoc tamen locò pœnæ iis solummodo decernuntur, qui liberos; & istorum occasione studioque ordinis & claritatis, qui, parentes suos occidendò, pietatis leges & jus sanguinis immaniter violarunt.

3. Et Imperiali quidem Jure in eum, qui parentis fata ferrò, venenò, aut quò aliò modò impiè ac nefariè properaret, uti &, qui liberos, avum aut aviam, nepotem neptémve occideret, decreta olim pœna sanè horrenda fuit; virgis enim sanguineis, hoc est, ad sanguinem usque verberatus, & culeò sive sacco coriaceò, secundum Gothofredum, cum cane, gallo gallinacio, vipera & simia infusus, in mare, aut flumen proximum jaclabatur, *l. Pœna 9. pr. ff. de L. Pomp. cit. l. Unica C. de His, qui parent occid. & §. Alia 6. Instit. de Publ. judic.* ubi ratio redditur; ut omniù elementorum usu carere vivus incipiat, & ei coelum superstiti, terra mortuo auferatur.

Hodie tamen crudelis hæc pœna (extra Hispaniam, in qua reus interfectus cum ejusmodi animalibus sacco inclusus in undas hodièque jaclatur, teste Gomez *Lib. 3. Var. cap. 3. n. 4.*) esse desit in usu: eique aliæ pro varietate circumstantiarum, arbitriò judicis exasperandæ vel mitigandæ pœnæ successerunt; alicubi enim Parricidarum membra rotæ subjiciuntur: alibi caudâ equi ad locum supplicii tracti decapitantur, & rotæ affi-

guntur, aut aliàs sepulturâ Ecclesiasticâ privantur: alibi strangulati & dolio inclusi in flumen abiciuntur &c. Clarus §. *Parricidium n. 5.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 20. n. 12.* ejusmodi pœnas plures referentes.

Jure autem Decretalium in parentum interfectores nullæ pœnæ sunt constitutæ, fortassis idè; quòd, ut quondam Solon, teste Seneca *Lib. 1. de Clementia*, sic etiam summi Pontifices, quorum autoritate jus illud conditum aut promulgatum est, tam abominandò & à ferina imanitate, non dicam humanitate, alienò scelere fidelium neminem se contaminaturum, existimarent, ut eruditè advertit Gonzalez *in c. fin. n. 4.* Antiquioribus autem Ecclesiæ sanctionibus imprimis generatim in eos severius, quam in cæteros homicidas, animadvertendum, habetur *can. Aut facta 19. dist. 1. de Pœnit.* Deinde *can. Latorem 37. q. 2.* à Nicolao Papa parentis interfectori ingressus Ecclesiæ unò: sacra Communio tribus; oblationes decem annis interdicitæ, & præterea jejuniâ, à carnibus & vino abstinentia, aliæque pœnitentiæ opera præscripta sunt.

Liberorum, in necem eorum, quibus vitam debent, triste aliquid machinantium impietati par, aut proxima est inhumanitas parentum, prolium suarum interemptione frustrantium naturæ vota & turbantium ordinem mortalitatis. Neque minor patris, quàm matris; quantumvis enim illi in liberos competat potestas patria, cujus illud maximum & lege Regiâ inductum jus quondam fuit; ut in liberos suos vitæ ac necis haberet potestatem, *l. In suis 11. ff. de Liberis & postb. & l. fin. C. de Patria potest.* cum tempore tamen; quòd potestas illa in pietate potius, quàm atrocitate consistere judicaretur à Sapientibus, *l. Divus 5. ff. de L.*

de L. Pomp. cit. & l. fin. ff. Si à parent. quis manumiss. Jus illud meritò sublatum, & quævis atrox animadversio denegata patri est, l. si filius 3. C. de Patria potest. & l. Unic. C. de Emendat. propinq. ut tandem ob illatam filio necem puniri etiam ipse caperet pœnâ homicidii Ordinariâ usque ad tempora Constantini M. qui in eum extraordinariam culei constituit; ut parricidii crimen ex l. Pompeia protraheretur ad ascendentes, qui liberorum ac nepotum suorum fata properarent, l. Unica C. de His, qui parent. vel lib. occidet §. Alia 6. Instit. de Publ. judic.

Eâdem pœnâ, ante patrem avumque paternum, tenebantur filii, & avus maternus nepotis sui interfector, l. 1. V. Sed & ff. de L. Pomp. cit. quòd eis vitæ ac necis jus & patriæ similis potestas in liberos nunquam fuerit concessa, l. Mulierem 6. C. §. Femina 10. Instit. de Adopt. & §. Qui igitur 3. Instit. de Patria potest. Tholol. Lib. 11. Syntag. cap. 5. n. 2. Hunnius Encyclop. p. 1. tit. 10. cap. 3. n. 4. & Gonzalez in c. fin. à n. 5.

7. Jure Canonico modernò in parentes liberorum suorum interfectores duo sunt constitutâ: & primò quidem filii sui interfectorix, si vidua, ut ad aliquod Monasterium poenitentiaæ agenda cavâs transeat, induci: & si de ejus incontinentia non timeatur, à secundis nuptiis arceri

jubetur ab Alexandro III. c. 1. Si verò conjugata adhuc sit, à marito non separanda, providendum tamen est; ut tanti sceleris pœnam luat, c. Intelleximus 2. Hodie hujusmodi homicidæ, tam parentes quàm liberi, vix unquam puniuntur à judicibus Ecclesiasticis, sed à curia Seculari apprehendi & antè relatis a-liisve pœnis pro varietate, tam circumstantiarum delicti, quàm personarum ac provinciarum, plecti solent, Farinac. cit. q. 120. n. 21. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 5.

Dein parentes, apud quos infantes adhuc tenelli in suo lecto collocati, Contra can. Consulisti 2. q. 5. reperti sunt mortui, olim ex decreto Lucii III. c. fin. relatò, in Poenitentia tres annos, & horum unum in pane & aqua transigere debebant; quòd extra culpam non esse præsumerentur; quantumvis enim illorum oppressionem & suffocationem nec intenderint, nec præviderint, eos tamen ad communem lectum recipiendò ejusmodi periculo exposuerunt, Vallenf. ad hanc Rubr. n. 2. Hodie in quibusdam Germaniæ diocesisibus infantis in materno lecto collocati oppressio suffocatiõe inter casus Episcopo reservatos recensetur. In aliis verò pro arbitrio discreti judicis, & ferè mitiùs punitur, teste Engel n. 4.



TITVLVS XI.

De Infantibus & Languidis expositis.

SUMMARIUM.

1. Horum expositio fere crimen grave:
2. Et olim hodièque aliquando capitali.
3. Plerumque tamen mitiori spæna obnoxium est.
4. Expo-